



**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

Covarrubias y Leyva, Diego de

Antverpiae, 1610

Ad Illvstrissimvm Ac Reverendissimvm Dominvm D. Ferdinandvm Ninno,
Indiarvm, nouique orbis Patriarcham, Episcopum Seguntinum, Caroli
Cæsaris Hispaniarum Regis summo Præfectum Prætorio, Didaci ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

AD ILLUSTRISSIMUM
AC REVERENDISSIMUM DOMINUM
D. FERDINANDUM NINNO, INDIARVM,

nouique orbis Patriarcham, Episcopum Seguntinum, Caroli Cæsaris

Hispaniarum Regis summo Præfectum Prætorio, Didaci Couarruias à Leyua

Toletani, in Granatenſi Curia, Regioque Auditorio Senatoris, in tres

Variarum ex iure Pontificio, Regio, & Cæsareo Resolutionum libros.

P R Æ F A T I O.

NON me latet, Præful amplissime, illustrissime Princeps, hanc prouinciam, quam iam semel & iterum, æditi opusculis quibusdam in publicumque diulgatis, Salmanticæ adsumpsi, & nunc tertium subire constitui, difficillimum esse omnium, quæ viris disciplinarum studioſis nominis acquirendi causa vnquam contingere possunt. Quid enim obsecro difficilium, quam variis tot lectorum iudiciis, vel mihi ex parte satisfacere? quibusdam etenim operis ordo eiusue distributio nequaquam forsitan arridebit: aliis displicebit stylus parum inquam politus, nec dignus quidem, vt opus ita oscitantem elaboratum legatur ab his, qui Latinæ linguæ castitatem, exactamque eloquentiam ex veterum Iurisconsultorum responsis, & quibusdam in ea eloquentissimorum virorum commentariis, assidua lectione fuere adsequuti. Quidam longiorem controuersiarum disputationem requirunt, breuem earundem definitionem omnino improbant. Nec deerunt, qui tot auctoritatem, præsertim iuniorum allegationem parum inuilem operi & lectoribus esse censeant: quippe qui exosam habeant huiusce ætatis tot commentariorum nomenclaturam. His sane omnibus non aliud obicere decreui, quo me à multis apologiis dictandis eximerem, quam tui auspiciis. nominis tutelam, sub qua tres Variarum ex iure Pontificio, Regio, & Cæsareo Resolutionum libros publico committere, vt publicè legantur, minime erubescam, difficiliora profecto sub tali patrocinio aggressurus. Tibi autem Præful reuerendissime, rationem reddere haud recusabo, quandoquidem & meorum omnium studiorum foret, si res ipsa permitteret, exactissime reddenda. Etenim cum annis ab hinc quatuor tuis auspiciis à lectionis ordinariæ munere, quod decem annis publico stipendio Salmanticæ gesseram, in hoc fuerim Granatenſe Prætorium inuictissimi Caroli Cæsaris, Hispaniarum Regis, decreto destinatus, vt cum aliis prudentissimis simul, ac vtriusque iuris viris consultissimis Regii Iudicis officium agerem: non potui relicto lectionis ordinariæ assiduo labore aliquot edere cõmentaria, quæ distinctè capitum glossemata in aliquem iuris canonici, vel ciuilibis titulum digesta cõtinerent. Exigit enim hic scribendi modus continui præceptoris industriam, quæ singula cuiusque capituli verba, glossarum, & commentariorum omnium partes diligentissime explicet: idcirco aliam oportuit eligere viam, qua possem cõmunia facere, quæ priuatim ipse quandoque elaboraueram. Hac in re necesse mihi fuit quæstiones quasdam exponere, quæ olim in illo celebratissimo diui Saluatoris collegio, ac deinde hac in vrbe furruis quibusdã horis in ordinem redactæ fuerunt, eo quidem stylo, qui facillime cuilibet lectori auctoris sensum enunciaret. Vitio namque sæpiissime datum est iuris Pontificii & Cæsarei cõmentariis, quod dum integro conatu Latinitati, & eloquentiæ opera impenditur, ipsa vera canonici, Iurisconsultorum, & legum interpretatio negligitur, aut denique ita expolitis verbis, ne dicam affectatis, exponitur, vt quandoque magis lectorem ipsum impediatur dictionum significatio, quam propositi tractatus & materiæ proprius intellectus, integraque cognitio. Non inficior barbariem à Iurisconsultis, eiusque professionis studioſis effugiendam esse: cum & ab his exhibenda penitus sit Latina, castaque oratio, modo ea dictionibus diu iam receptis ab huius disciplinæ cruditissimis scriptoribus, nempe Bartolo, Baldo, Alberico, & Panormitano rem quamplurimam ita quidem exponat, vt quid hi iuris vtriusque interpretes, quos meritissime omnium facile principes esse opinamur, suis in cõmentariis tradiderint, lectoribus sit manifestum. Id vero in hisce libris maximo studio conati sumus efficere, quod breui quadam ἀγαλῶσι quæstiones singulæ nostram de qualibet controuersia sententiam continerent, non equidem singularem, sed veteribusque frequentissimè deuiam: quemadmodum nostra ætate fecere maximo cum dispensatione studioſæ iuuentutis, quæ statim lectis arte quadam, ac fucis Rhetoricis æditi cõmentariis, aduersus

aduersus iuris vtriusque interpretum receptissimas opiniones, eas ita supersticiosè amplectitur, ut difficillimum sit in iudicialibus quæstionibus, responsis, & litium definitionibus à semel admissis conclusionibus adhuc in senectute discedere. Nos enim multifaciendam esse censeamus veterum auctoritatem, quam, nisi plurimum noster abhorreat intellectus, semper & sequens stionum disputationem, ne in tanta librorum copia, quæ ex typographorum officinis quoties prodit, nostrum hoc opus fastidio lectoribus esset, dum aliorum auctorum rationes fere ad verbum referens, iter iam actum ageret. Qua ratione coacti sumus, aliorum, qui ante nos de eadem rescribere, expressim mentione agere, ut lector inde percipiat, quibus ex locis, quæ hoc in opere traduntur, acceperimus, putatque ab his multa quæ nos consule, ut compendio uteremur, possumus. Statim autem quod huius operis editio mentem subire cœpit, illud tuo nuncupare munusculo nomini alacri animo constitui: non quod existimem, munus aliquod ad conciliandum tui decoris, ornamenti, & auctoritatis his meis laboribus accessurum. Cui etenim aptius meliusque literarii labores dicari, aut nuncupari poterunt, quam ei qui summam in Hispaniarum Reipublicæ iuris dicendi potestatem habet, quiq; Regis inuictissimi, Caesarisque Caroli V. ac Principis Philippi summo præsidet Senatui, à quo leges & iura, qui publicis fungimur magistratibus, patimur accipimus? certe nemini. Præsertim ornatissime Præsul, obsequium istud tenemur iuris vtriusque profectores exhibere tibi, qui omne tuum studium in doctrina, intelligentia, variarumque cognitione rerum ad iustitiæ cultum pertinentium ponas, doctissimos, sapientissimosque homines amplissimis, atque maximis honoribus maximo studio semper ornaueris. Quod si ingrati, immemoremque beneficii, iuxta Ciceronis sententiam, omnes odio meritissime prosequuntur, me ipsum nulla ratione possem hac nota immunem esse censere, si in his adendis Variarum Resolutionum libris te ipsum patronum, ac tutissimum defensorem minime selegissem, cui primæ meorum studiorum præmium & me debere fateor, & à te illud accepisse, non minimam meæ felicitatis partem esse duxerim. His omnibus accessit communis patria, omniumque aliarum urbium illustrissima Toletum, vbi gentilia Ninniorum familia, quæ te præclarissimum tantæ nominis progenit ornamentum, comitate, liberalitate, alijsque insignis nobilitatis titulis et locum habuit, quem apud celebratissimas vrbes viri optimates semper habuerunt. Quibus tandem, ac tua maxime clementia humanissima fretus. Præsul ornatissime, te ipsum vehementer et atque etiã precor, ut hos libros tuo illustrissimo nomine, tuæque auctoritatis præsidio gratior ac omnium manus accedere permittas, meque tibi obsequentiissimum esse, vel hoc ipso beneficio palam omnibus faciat. Vale. ex inelyta Granata, decimo Calendas Iunias, Anno 1552.

